

oratio, cum aliquid aut inuisum, aut inauditum, aut nouum dicas. Delectat enim quicquid est admirabile, maximèq; mouet ea, quæ motum aliquem animi miscet, oratio, quæq; significat oratoris ipsius amabiles mores, qui exprimuntur, aut significando iudicio ipsius ex animo humano, ac liberali, aut inflexione sermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari uidentur, idq; comitate fieri magis, quam uanitate. Sed multa sunt suauitatis præcepta, quæ orationem, aut magis obscuram, aut minus probabilem faciunt. Itaq; etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, iudicandum. C.F. Reliquum est igitur, ut dicas de conuersa oratione, atq; mutata. C.P. Est itaq; id genus totum situm in commutatione uerborum quæ simplicibus in uerbis ita tractatur, ut aut ex uerbo dilatetur, aut in uerbum contrahatur oratio. Ex uerbo, cum aut pro-

B 5

prium,